





*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]*



*[Faint, illegible handwritten text on a large, aged, cream-colored page, possibly a flyleaf or endpaper.]*

1.  
1.  
2.  
gao  
2  
4.  
1/  
1/  
2.



1769.

1. Backhaus, Franc. Wilhelmus : De aere alieno hereditario
2. Beckius, Albertus Philippus : Meditatio super diversis  
honorum generibus angelis hinc solitis
3. Beckius, Alb. Phil. : Tus bonae fidei pignoris  
circa fructus e re aliena perceptos : 2 Exemp -  
1769 et 1775
4. Kruppel, Carolus Antonius : De contentione juris  
civilis et canonici. Prolatio I, qua praelec -  
tiones per semestre hybernium . . . indicit

1770.

1. Kruppel, Carolus Antonius : De contentione juris  
civilis et canonici. Prolatio II, qua praelectiones  
per semestre aestivum . . . indicit
2. Paetke, Carolus Fridricus : De differentia juris  
communis et. Brunsvici - Guelpho - hystorici

1771.

1. Lichtenhart, Fr. Tristoricus: De regula juris, quod  
in casu dubio omnia bona mariti esse preae-  
sumenda sint caute attribuenda.

2<sup>o</sup> Triccius, Albertus Philippus: De iuribus illius,  
qui alteri ad emendam creditur.

3. Triccius, Albertus Philippus: De testamento nullo  
iniquitate hereditatis ab intestato ad probationem nunquam  
in formam testamenti validi reconvalescente.

1772.

Fewerlein, Paulus Tacitus: De privilegio votis sponsae  
competente dixerit simulque . . . Thomae Conrad Fewer-  
lein . . . patri suo . . . susceptum . . . munus  
procancellarii . . . gratulatur

1774.

1. Triccius, Albertus Philippus: De libello actionis ab  
caesione enormem imbitentiae non disjunctive

conscripto ad l. 2 C. de rescind. vend.

2. Haebelin, Franciscus Dominicus: Theses inaugurales  
de j. statu, jurebus ac privilegiis S. R. I. lib. ac  
immun. nobilitatis inde a temporibus Rudolphi I  
Rom. Regis usque ad Maximilianum I Imp.
3. Paetike, Carolus Fredericus: De jure venditionis ratione  
residui pretii motu in emptoris bonis concursu
4. Prieser, Joannes Henricus: Observationes de cir-  
cularibus Imperialibus speciebus Ulma sub Rudol-  
pho I. Rom. Rege.





*aniff*  
34.  
1769,1  
1/

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
AERE ALIENO  
HEREDITARIO

QVAM  
CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS IVRIDICI  
IN ALMA IVLIA CAROLINA

H. L. Q. C.

DIE APRIL. MDCCLXIX.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONET

IOANNES WILHELM. BACKHAUS  
I. V. D.

RESPONSURO

IOANNE SEBASTIANO STRACK  
NASSOVIENSI.

---

HELMSTADII  
TYPIS IOANNIS DRIMBORNII.

DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
AERE ALIENO  
HEREDITARIO

AVIA  
CONSENSU HONORABILIS ORDINIS IURIDICI  
IN ACADEMIA CAROLINA

M. D. C. C. C. X  
DIE ANNI MDCCCXIX  
PUBLICE VENTILATA ET APPROBATA

IOHANNES WILHELM BACKHAUS  
L. V. D.

RECTORI  
IOHANNI SEBASTIANO STRACK

HELMSTADII  
TYPIS IOHANNIS BRUNNENII





§. I.



N omina inter heredes, pro proportionibus hereditariis, erecta cita sunt, ceterarum familiae rerum erecto non cito, si volent heredes, per erectum citum faciunt. Praetor ad erectum ciendum arbitraris dato : cui fragmento XII. tabularum a Jacobo Gothofredo restituto, reliqua fere omnis doctrina Romanorum de divisione universae hereditatis, & in primis de divisione nominum superstructa est, aut certe hoc fundamento nititur.

§. II.

Sapientissimus juris Romani fons, LL. XII. tabularum, in nominibus profunda habet vix perferenda. Rigor earum, quo ad manus addicunt creditori debitorem obæratum, civem Romanum, & trans



Tiberim peregre vendi permiserant, sufficiens fuit ad conservandam fidem, ne mitioribus legibus, urgente necessitate, ægre inventurus fuisset creditores. Non opus fuit, pluribus creditoribus corpora secanda debitorum tradere, quibus ea, quasi palingenesi, integra reddidit de Bynckershoeck.

### §. III.

Attamen si verba captare volupe esset, duram ex his superfore conditionem debitoris aere alieno oppressi, duramque legem diceremus, cum inter bonis lapsus ex protervia, & cum, qui adversa fortuna, absque dolo culpave in hanc incidit miseriam, magna, in LL. XII. tab. posthabita, differentia intercedat, nisi verba, "rebusque jure judicatis": iudicis arbitrium postulent.

### §. IV.

Quicquid sit, jam in alio hæremus scopulo. E longinquo consideravimus jura creditorum in vivos debitores, pristinam Romanorum fidem legibus suffultam mirati, & quod in his terris, præcipue in debitis cambialibus, non minus firma & antiquorum Germanorum simillima sit, 1) legibusque adjuverur, ovantes: nunc, quousque per spacium, quod mihi ex malo diuturno, quod oculos invaserat, restituito, angustissimum, licuerit, de iis, quæ maneant creditorem mortuo debitore, differendum erit.

### §. V.

1) Tacit. Annal. L. 13. C. 54.



## §. V.

Heres in omne jus mortui 2) non tantum singularum rerum succedit, sed & ea, quæ in nominibus sunt, ad heredem transeunt: 3) quin imo una quodammodo fit persona heredis, & ejus, qui in eum transmittit hereditatem. 4)

## §. VI.

Cum inde constet, heredem ejusdem potestatis jurisque esse cujus fuit defunctus; 5) non æquum reputatur, in locum defuncti succedenti nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit. 6) Quo contra, ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet: 7) nam nemo debet cum damno alterius locupletior fieri. 8)

## §. VII.

Generalis sanctio est: 9) stipulationem, sive in dando sive in faciendo, sive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad heredes, & contra heredes transmitti, sive specialis heredum fiat mentio sive non. Ex contractibus venientes actiones in heredes dantur. 10)

A 3

## §. VIII.

- 2) l. 24. V. S. & l. 62. R. I.
- 3) l. 8. l. 37. ff. de acqu. vel. om. hered.
- 4) Nov. 48. præf.
- 5) l. 59. R. I.
- 6) l. 156. §. 2. R. I.
- 7) l. 194. eod.
- 8) l. 14. ff. de condict. indeb.
- 9) l. 13. de contr. & committ. stipul. l. 56. verb. obl.
- 10) l. 12. l. 49. ff. de obl. & act.



## §. VIII.

Hereditas, cum sit successio in universum jus quod defunctus habuit, 11) & si plures instituantur heredes, dividi inter eos a testatore jus oporteat, quod si non fiat, omnes æqualiter heredes sint, 12) & nihil indivisum relinqui debeat; 13) heredibus vel in primis hoc negotii datum est, ut, quæ ad massam bonorum defuncti pertinent, 14) vel vere, 15) vel quoad effectum 16) ipsi accedant, curent.

## §. IX.

Sicuti de investigandis bonis defuncti & constituenda massa bonorum sollicitos esse heredes oportet, ut quæ, & qua ratione, hereditas dispartiri debeat, sciant: ita & in eo diligentia eorum versatur, ut, damna, quousque fieri potest, avertant.

## §. X.

Si itaque a testatore pecunia sub poena promissa sit, poena committeretur, nisi integra soluta sit: quare, in futurum sibi prospiciant, necesse est, si nondum soluta est pecunia nec dies venit, per cautionem, ut de indemnitate caveat per quem factam ne omnis pecunia solveretur: aut ut caveat, se ei qui solidum solverit partem præstaturum: sive etiam solvit unus uni-

11) l. 24. ff. V. S. l. 62. R. I.

12) l. 9. §. 12. ff. de hered. inst.

13) l. 25. §. 20. ff. fam. erc. l. 52. §. 3. eod.

14) l. 56. ff. de rei vind.

15) l. 52. pr. &amp; §. 1. ff. fam. erc. l. 1. §. 11. de collat.

16) l. 1. ff. de dot. collat. l. 25. C. fam. erc.

universam pecuniam, quam defunctus promisit, familiae erciscundae iudicio a coheredibus partes accipere potest. 17)

### §. XI.

Idem observatur in pignoribus solvendis: 18) Coheres enim, etsi non solvit, habet familiae erciscundae iudicium, ut cogatur coheres solvere, cum alias non sit liberaturus rem creditor, nisi in solidum ei satisfiat, 19) & iure vendere pignus possit. 20)

### §. XII.

Neque minus in legatis: nam iudicio familiae erciscundae convenit coheredes, si unus legatorum nomine caverit, ne in possessionem mitterentur, 21) si ve solverit legatario missio in possessionem legatorum servandorum causa, quia non alias discederet a possessione, quam vice pignoris erat consecutus, quam si totum ei legatum fuisset exsolutum. 22) Rem pignori creditori datam, si per praecceptionem legaverit testator: officio iudicis continetur ut ex communi pecunia luatur, eamque ferat is, cui eo modo fuerit legata. 23)

### §. XIII.

- 17) l. 25. §. 13. ff. fam. erc.  
 18) l. 25. §. 14. ff. fam. erc.  
 19) l. 18. §. 4. ff. cod.  
 20) l. 25. §. 14. ff. cod. l. 6. C. de distr. pign.  
 21) l. 25. §. 15. ff. fam. erc.  
 22) l. 18. §. 6. ff. cod.  
 23) l. 28. ff. cod.

## §. XIII.

Coheres etsi non solvit, habet familiae erciscundæ iudicium ut coheres solvat, quo res hereditariæ, nexu pignoris liberentur, 24) aut usus fructus uxori, donec ei dos solvatur, legatus, extinguatur. 25) Generalis his subnectitur regula: quæ pro parte expediti non possunt, si unus cogente necessitate fecerit: huic iudicio locus est. 26)

## §. XIV.

His præmissis, quæ de nominibus in hereditate statuunt jura, paucis videamus. Nituntur dispositione LL. XII. tabularum. Quæ in nominibus sunt, non recipiunt divisionem: cum ipso iurè in portiones hereditarias ex jure XII. tabularum divisæ sint: 27) quare, cum nihil in corporibus, sed omnia in nominibus sunt, iudicium familiae erciscundæ cessat. 28)

## §. XV.

Ex quo consequitur, quod tot leges innuunt, heredes credita pro proportionibus hereditariis exigere, 29) eosdemque, pro qua portione ad eos hereditas pervenerit, ari alieno exsolvendo obstructos esse. 30)

## §. XVI.

24) l. 18. §. 4. ff. cod.

25) l. 42. §. 7. ff. cod.

26) l. 25. §. 15. ff. cod.

27) l. 6. C. cod.

28) l. 4. pr. l. 25. §. 1. ff. cod.

29) l. 42. ff. cod.

30) l. 25. ff. de solut. &amp; lib. l. 25. §. 22. ff. fam. erc. l. 56. ff. de verb. obl. l. 14. C. de rei vind. l. 22. §. 4. C. de iur. delib. l. 2. C. de annon. &amp; tribut.





## §. XVI.

Non vero ita, a coheredibus aes alienum præstari oportet, ut coheres, quasi socius conveniri possit, & totum ab eo debitum exigì, ex quo deinde a reliquis coheredibus ratam repetere ipsi necessum foret, sed duntaxat de peculio condemnandus, quod apud eum est, qui convenitur. 31) Quod eo usque procedit, ut, si heres ex parte institutus, quæ defunctus promisit tota solvit, pro parte quidem, qua heres est, liberetur, pro parte autem reliqua ea condicat. 32)

## §. XVII.

Usum dispositionis LL. XII. tabularum, legumque iis superstructarum, aes alienum ipso jure inter heredes divisum innuentium, in eo præter reliqua se exferere contendunt, quod divisim ita inter heredes iis, quæ massæ detrahuntur, onera hereditaria legatarios non afficiant.

## §. XVIII.

Sed alias præter hanc subesse rationes, probabile videtur, quibus illo constituto plane supersedere possumus. Legatum enim est donatio quædam a defuncto relicta, ab herede præstanda. 33) Donatarius vero rei singularis debita donantis non solvit. Deinde notum est, omnem successionem lege niti.

Jure

31) l. 30. §. 1. ff. de pecul.

32) l. 25. ff. de solut. & lib.

33) §. 2. l. de legatis l. 116. pr. ff. de legat. I.



Jure enim defertur aut vetere, e lege XII. tabularum  
aut ex testamento jure facto. 34)

§. XIX.

Jure universali dominium retinetur possessione  
animo sibi habendi, hæc vero cessat morte : quare  
eo jure, tanquam res nullius, occupanti cederent, nisi  
lege aliqua prospectum foret, ne incommoda ex inde  
orientia societatem turbent.

§. XX.

Leges cum modo quam maxime naturali lege  
contraria tollantur, 35) de facultatibus suis disponere  
volentibus, jus hoc Romani concesserunt : quibus  
legem, in comitiis calatis rogantibus, vel devotis in  
procinctu diis manibus, condentibus jam ante L. XII.  
tabularum de re sua legare liberum fuit, cui imagi-  
naria hereditatis venditio 36) & deinde symbolicus  
ritus, testamentum eorum septem testibus ordinandi,  
successit. 37)

§. XXI.

Cum vero in emtione venditione nihil obftet, quo  
minus venditor emtori legem dicere possit, ut intuitu  
rei venditæ tertio aliquid præster : neque in here-  
ditate hoc indubium vocabitur, per venditionem &  
mancipationem translata. Hæc itidem successionis  
pactiæ

34) l. 1. ff. de hered. petit. l. 1. §. 8. ad Sctum Tertull.

35) l. 35. ff. R. J.

36) §. 1. J. de test. ord.

37) §. 2. eod.

❦

factita qualitas, moresque Germaniae; respuere non videntur.

§. XXII.

Non solum quae in comitiis & in procinctu condita sunt testamenta, pro legibus habenda sunt, sed etiam principi oblata, aut ad acta judicialia consignata, speciem legis quodammodo retinent: non ea solum ratione, qua omnem solennitatem superare statuunt, quae principis conscientiam tenent, 38) sed ea quoque, quod, quod principi placuit, legis habeat vigorem. 39) Placuisse vero principi, aut quibus facultatem recipiendi testamenta ad effectum validitatis indulgit, tam ex ipso actu receptionis, quod preces offerentis audierit, evincitur: quam eo, quod documentis desuper confectis exprimi solitum sit, in quantum de jure, suo tempore, observari ea curatum iri.

§. XXIII.

Accedit, mutato statu nonnunquam omissis principis, conclusiones servatas esse, quod antiquitatum perscrutores minime fugit, in quos, vel inde, maxima perspicuitas cadit, salva hac thesi: omnem successionem ex lege descendere, dubia, ex reliquis privilegiate testandi modis desumpta, facile enodaturos.

§. XXIV.

Quibus legem ferre permissum, si legem iam adesse sciverint, de ea re disponentem, & aliam non

B 2

38) l. 19. C. de test.

39) §. 6. J. de J. N. G. & C. l. i. pr. ff. de const. princ.



tulerint, eos priorem probasse non dubitatur. Quum itaque quis de re sua legare, cum potuerit, omiserit, generalem de successione ab intestato seu legali amplectitur. 40)

### §. XXV.

Ultra verba mentemque legislatoris temere non progrediendum esse, regulæ interpretationis continent. In specie exceptiones a lege generali ut non sunt extendendæ, ita neque præter mentem coarctandæ. Si itaque legatum a successore legali in specie, vel ab herede testamentario præstandum relinquatur, 41) animus legantis, rem a corpore honorum suorum plane separandi, 42) ex verbis nisi jam pateat, hanc interpretationem tamen haud ægre admitret, quod in jure accrescendi inter legatarios videre licet. 43)

### §. XXVI.

Legatarii, cum immunitatem a solvendis debitis hereditariis nos LL. XII. tabularum acceptam non ferant; neque creditorum potissimum conditionem, divisim ipso jure nominibus, meliorem fieri, videre erit: quin eo, quod in vivos debitores, quocunque sensu verba de his venerint, LL. illis statutum fuit, vel applicatione solum, durius dicatur. Nam quis injustitiæ damnabit hodiernas leges, quæ dolo bonis lapsum debitorem supplicio afficiendum jubent, furi

40) l. 39. ff. de acqu. hered.

41) l. 74. l. 116. pr. ff. de legat. I.

42) l. 34. §. 11. ff. de legat. I. l. 43. & 44. ff. de hered. petit.

43) l. 1. ff. de usufr. accen.

\* \* \*

firi æquiparatum. 44) Multo minus crudelis fuisset, pro ratione illius seculi, tabula, quæ, indulta in aliis autoritate privata, in his, rebus jure judicatis, doli convicti, capitis damnati, cadaver, placandis creditoribus, in partes secari permittat. Ne minima quidem severitatis specie, mente legis ex sententia Bynckershoeckii temperata, relicta, altera lex erit consideranda.

§. XXVII.

Antiquo enim jure hæc sententia stabilita videtur; iniquum esse, unum ad solvendum integrum debitum, dimissis plane reliquis coheredibus, obligari: eo enim tam creditorem quam coheredem læsionis periculum tantum non semper subire. Eadem ratione, in exigendo credito uni addicto, si nomea bonum non fuerit, æqualitatem, seu præscriptam partem, vix servari, & ad heredem pervenire.

§. XXVIII.

Ea tamen sententia, ut ut ex altera parte proficua in partes scinditur judicium, quod omnes heredes singuli separatim accipere, & singulatim agere, jure tenentur: 45) indivisis contra jure nominibus, si de illiquido contenditur, ex communi massa sumtus litis depromerentur, pro parte cujusque impendendi aut si unus solverit, divisa jam hereditate, a coheredibus

B 3

pro

44) Reform. polit. Aug. Vind. d. a. 1548. Decretum Civitat. Hanseat. publ. d. 20. Apr. 1620. Corp. Comit. Calenberg. P. 2. p. 707.

45) l. 30. §. 1. de pecul. l. 26. C. de pact.



pro proportionibus consequendi. Coherede, non mandatis ipsi a coheredibus actionibus, in solidum contra contra debitorem defuncti agente, reliquorum causam pro portionibus hereditariis non salvaret: nec consecuta ex parte sua solutione, contra reliquos debitor hereditarius recte praescribit actiones.

### §. XXIX.

Illo jure creditorum actio in partes divellitur, plura sunt debita multiplicantur lites. Inde nil obstat, quo minus heredis non conveni causa, licet contra alterum coheredem, vel quod confessus sit, vel contra eum probatum, obtinuerit creditor, salva maneat. Quare alterutri si renunciatio crediti facta fuerit, alter nihilo minus ratam retinet: lite unius coheredis alterius praescriptio actionis non interrumpitur. Tot enim separatae sunt actiones & exceptiones quot sunt heredes, tot condemnationes & absolutiones. Particularem fortis & usurarum solutionem accipere tenetur, licet pecunia non sit hac lege mutua data. 46)

### §. XXX.

Heredem unam quodammodo esse personam, & ejus, qui in eum transmittit hereditatem, supra dictum est: in eundem transmitti obligationem, ne mentione quidem heredum stipulationi injecta, constat. 47) Ex persona heredum, non posse descendente a defuncto stipulationem, diversam conditionem cujusque effici.

46) l. 41. §. 1. ff. de usur. l. 30. §. 1. ff. de pecul.

47) l. 56. ff. de verb. obl.

efficere, 48) in speciebus quibusdam asseritur. Solidum  
denique & quantitate & die 49) solvendum est; alio-  
quin debitor non liberatur, 50) nec cogi creditor  
potest, particularem solutionem accipere; nisi de ea  
conventum sit; 51) nec totius debiti usurarum præ-  
statio, depofitione partis, retardatur. 52)

§. XXXI.

In promissione bonorum non plus est, quam  
quod superest deducto aere alieno, 52) nam quod eo  
deducto superest in bonis esse intelligitur: 54) nec  
capere quis videtur, quod erit restituendus. 55)  
Si plures eiusdem bonorum curatores facti sunt,  
in quem eorum vult actor, in solidum ei datur actio:  
modus enim actori non debet constitui, & potest  
eum quo vult experiri. 56)

§. XXXII.

His positis, nisi jus alienum hereditarium ipso  
jure divisum esset, consequeretur; facto tertii, mor-  
te, & successione plurium, non posse effici, ut cre-  
ditorem, quo invito ne quidem ejus creditori delega-  
tio

48) l. 2. §. 2. ff. de stipul. prat. l. 2. §. 2. de verb. obl.

49) l. 58. ff. de solut. & lib.

50) l. 1. C. qui bonis cedere poss.

51) l. 1. §. 6. depof.

52) l. 41. §. 1. ff. de usur. l. 13. §. 8. de act. emt.

53) l. 72. ff. de jur. dot.

54) l. 2. §. 1. ff. de collat. l. 39. §. 1. de V. S.

55) l. 71. pr. eod.

56) l. 2. §. fin. l. 3. ff. de curat. bonis dando.

tio, ratione integri debiti, vivo debitote, fit, 56) mor-  
tuo eo, singulos heredes ex arbitrio defuncti perse-  
qui oporteat: quippe quodam respectu ex persona de-  
functi correos promittendi, vel socios, pro quibus  
defunctus contraxisse videtur, 57) nec jus creditoris,  
solidum, quod solvit, recipiendi, 58) imminui.  
Quare quemque eorum, & ad effectum interrup-  
tendæ præscriptionis actionis, & consequendi integri  
debiti recte conveniret, 59) nec contra æquita-  
tem, cum interpositis in divisione hereditatis cautio-  
nibus, aliave ratione, de avertendo damno inde me-  
tuendo, sibi quisque coheredum facillime prospicere  
possit, 60) nec depositione unius partis debiti, pro  
ratione facultatum, quæ ad coheredem pervenerunt,  
totius debiti usurarum præstatio sisteretur.

### §. XXXIII.

Non plura transeunt in dominium eo heredum,  
quam quæ deducto aere alieno supersunt: quare,  
cum in eo, quod non est, condominium quoad resti-  
tutionem coheredes non habuerint, illud neque di-  
videre eos posse, & quodammodo, vices curatorum  
bonorum, ratione quantitatis æris alieni habita, subire  
eos, & vel ea de causa in solidum conveniendos esse,  
61) defendi potest. Neque opus esset separatione pe-  
tenda,

56) l. 1. l. 6. C. de novat.

57) l. 9. ff. de duob. reis l. 1. §. ult. l. 2. l. 4. §. 1. ff. de exerc. act.

58) l. 41. §. 1. ff. de usur.

59) l. 26. ff. de fidejuss. & mand.

60) l. 19. l. 25. §. 13. ff. fam. erc.

61) l. 3. ff. de curat. bon. dand.



tenda; 62) sine qua, legitimo tempore impetrata, 63) bona heredis cum bonis defuncti commiscantur, & utriusque creditoribus necessitas, in concursu de ordine certandi, imponitur, 64)

#### §. XXXIV.

Romanis, salvo aere alieno jure partito, quod saepe solutio & exactio partium non minima incommoda habeat, persipientibus, redintegrandam judicium curae fuerunt: debita & credita singulis pro solido, aliis aliae attribui, nonnunquam ad officium judicis pertinere, sancientibus. 65) Quo tamen, obstante dispositione LL. XII. tabularum, non efficitur, ut quis solus totum debeat, vel totum alieni soli debeatur: sed ut, sive agendum sit: partim suo, partim pro curatorio nomine agat: 66) sive cum eo agatur: suo partim, partim procuratorio nomine, conveniatur. Nam licet libera potestas maneat creditoribus, cum singulis experiundi: 67) tamen & his libera potestas est, suo loco substituendi eos, in quos onera actionis officio judicis translata sunt: 68) quo XII. tab. benigne sunt interpretati.

#### §. XXXV.

62) l. 1. §. 3. l. 6. pr. ff. de separa.

63) l. 1. §. 13. ff. eod.

64) Cui decrevit Cane. Calenb. in causa heredum v. C. contra M. curatorem d. 19. Jun. 1737. Sententia, in S. pro-  
vocationum tribumali Cellis comprobata.

65) l. 14. ff. de distr. pign. l. 1. §. 2. ff. de juridic.

66) l. 63. ff. de judicis.

67) l. 26. C. de pactis.

68) l. 2. §. fin. ff. fam. etc.



## §. XXXV.

Neque minus in attribuendis nominibus privata obtinet auctoritas, & stipulationi statur, ut alter alteri mandat actiones, procuratoremque eum in suam rem faciat, 69) alioquin nec quisquam alienam rem, invito coherede in iudicium deducere potest, 70) neque creditor reliquos coheredes dimittere ex stipulatione ipsorum tenetur: 71) quod alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet. 72)

## §. XXXVI.

Eadem ratio obtinet in aere alieno a defuncto distributo, creditoribus enim liberum manet, quemque heredum pro portione hereditaria convenire, 73) quia hereditas eos obligat, & quaecunque quilibet pro se dixerit, aut scripseret, hæc nihil ei prodesse, neque creditoribus præjudicare, possunt. 74)

## §. XXXVII.

Procuratoris quoque communis constitutio nunquam flagitatur, ne defensio per plures scissa incommodo aliquo afficiat actorem, 75) & si ante ejus constitutionem de communi conveniri debent heredes, uni citationem, vel divisa jam hereditate, insinuari posse,

69) l. 2. §. ult. eod.

70) l. 31. ff. de judiciis.

71) l. 23. C. fam. etc.

72) l. 74. ff. de reg. jur.

73) l. 20. §. 3. ff. fam. etc.

74) Nov. 48. C. i.

75) l. 5. §. 7. ff. jud. solv.

604  
posse, peculiaribus constitutionibus judiciorum hinc inde cautum est. 76)

§. XXXVIII.

Quam creditores hereditarii interdum petunt inhibitionem, de non dividenda hereditate præprimis si dies solutionis nondum venerit aliquanto durior videtur, nec indistincte conceditur 77) cum nihilo secius, divisim ipso jure debitis hereditariis, neque in lite, neque in exactione solutionis, a singulis consequendæ compendium inveniant, quo alias plane carere debeant. Magis itaque commendandum arrestum partibus hereditariis imponendum, vel, quamvis minus proficua, tamen æquior interdum interdum cautio, judicatum solvi, præstanda: quibus omissis, si facultatibus heredis cujusdam minus fident, beneficium separationis non est negligendum. Præterea caute constitutio communis procuratoris tempestive postulatur.

§. XXXIX.

Incommoda, ut maturo consilio prævertantur, quæ ex superstitiosa observatione LL. XII. tabularum, in multis jam temperatarum, supersunt, poenam conventionalem, in mutuo dando, sibi stipulari consulum

C 2

76) v. g. ord. Canc. Cal. t. 8. §. 6.

77) Arg. decr. n. 64. alleg. ist keinesweges nothwendig, daß die Passivschulden zuerst von dem ganzen Nachlaß genommen werden, sondern solche können von einem jeden Erben pro rata seines ihm angefallenen Erbtheils süßlich bezahlet werden.



sultum esse nemo non videt, quia ad poenam evitandam, partem suam solvere, nihilum prodest, & ad solvendum solidum heredes sunt eo prouiores. 78)

§. XL.

Eo quoque pertinet cautio in mutuo ineundo, qua debitor ex eo heredes, quemque in solidum, teneri debere, promittit 79): de cuius validitate, cum hereditas eos obliget, 80) non erit dubitandum. Jus dividere nomina; huic non obstat: cum alii cuidam præjudicium inde non nascatur. Cui vero, & in quantum in præjudicium tertii quid statuere, liceat, & quid hoc nomine vere vel perperam veniat, si qua has pagellas accepi velim, indulgentia, permittetur, in commentatione de ademptione privilegiorum, erit exponendum.

78) l. 18. §. 5. ff. l. 25. §. 12. ff. fam. erc.

79) l. 3. ff. fam. erc.


80) l. 13. ff. de contr. & committ. stipul. l. 12. l. 49. ff. de obl. & act. l. 56. ff. verb. obl. Nov. 48. præf.



X 239 6279







*De aere alieno hereditario.*

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
AERE ALIENO  
HEREDITARIO

*34.*  
*1769, 1*

QVAM  
CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS IVRIDICI  
IN ALMA IVLIA CAROLINA

H. L. Q. C.

DIE APRIL. MDCCLXIX.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONET

IOANNES WILHELM. BACKHAUS  
I. V. D.

RESPONSVRO

IOANNE SEBASTIANO STRACK  
NASSOVIENSI.

HELMSTADII  
TYPIS IOANNIS DRIMBORNII.

